This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

INGRASSIA

62 In

PHILIPPI INGRASSIAE,

PHILOSOPHI ET MEDICI CELEBERRIMI,

AC IN SICILIAE REGNO, Philippi Regis ſummi Archiatri,

DE FRIGIDAE POTV poſt medicamentum purgans, Epiſtola.



VENETIIS, Apud Franciſcum Rampazetum.

Sumptibus D. Iacobi Anelli de Maria, Neapolitani.

M D L X X V.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DE LA FAC. DE MEDICINA

In 47 R

IO. FRANCISCI LOMBARDI NEAPOL. DE PRAECEPTORIS SVI LIBELLO,

QVO POTVS FRIGIDAE post pharmacum commendatur,

Ad Lectorem Hexaſtichon.

GAudeat ægrotus; quicunque ſit ille; miſellus,
Nanque probat potum iurè Philippus aquæ.
Hac nihil infirmis ſanè iucundius vnquam
Eſt, vel amabilius, ſcilicet, eſſe poteſt,
Ergo diu viuat columen, decus atq; Triquetræ;
Quo cum Piſanus viuat & Archiater.

Soy de la Librería
del Colegio
de la Concepcion
de Alcala.

CELEBERRIMO PHILOSOPHO ET MEDICO,

Ioanni Antonio Piſano

REGIO IN NEAPOLITANO regno archiatro, practicæq; vocatæ medicinæ publico profeſſori

PHILIPPVS INGRASSIAS FELICITATEM.

VNIVERSID. CENTRAL BIBLIOTECA FACULTAD DE MEDICINA

De frigidæ potu poſt Medicamentum purgans.

TVAS recepi literas, fili mi dilectiſſime, quibus, pręter alia, inſtanter à me intelligere petijſti, An verum ſit, me à ſoluente pharmaco frigidæ potum propinare? Quòd ſi verum eſt: quibus de cauſis, quibusve in caſibus illum pręcipiam? Eoque magis hęc à me ſcire deſideras, quoniam inuictiſſimus chriſtianarum claſſium, ſereniſſimusque totius exercitus imperator, dominus noſter Ioãnes ab Auſtria ſciſcitaſſe à te ais: An à pharmaco frigidam purgandis ſiue ſanis, ſiue ægrotantibus permitteres? ueluti noſtrum eſſe morem ille retulit. non temerè autem ambigere te nouimus, cùm uniuerſa practicantium medicorum, uulgataque conſuetudo ſit, uel inſipidum gallinæ, pullive gallinacei ius, uel hordeaceam aquam calidam, non frigidam propinare; tametſi ſacharum quoq; eorum plurimi adiungunt, quorum utrumq; ex generali dogmate emanaſſe, compertum habemus: primum quidem ex libro ſimplicium medicamentorum vndecimo [a]: alterum verò ex libro de ratione victus acutorum ſecundo [b]: quamquã pra[illegible] locis à medicorum grege in-

Quæſtionis titulus.

Dubitandi ratio.

Inſipidi iuris, hordeaceæq; uſus unde.

a Sec.39.

b Com. 12.

tellectis. primum namque, hoc eſt, inſipidum illud, ſimplexque ius, non ad ſubducendum, purgationemque ipſam adiuuandam, ciendamque (quod intendere tunc plurimi profitentur) à Galeno prolatum eſt, perindè ac medici eo vtentes, ipſique etiam purgandi crediderunt. ſed ad cohibendum potius, contemperandumve prauos humores, qui ad venticulum, par- 1
teſq; conuicinas à medicamento attracti iam iam defluxerunt, ipſumque præ ceteris ventriculum. Inquit enim abſolutè Galenus[c] {ὅ γε μὴν τῶν ἀλεκτορίδων ἁπλῶς ζωμὸς συγκρατικῆς ἐστι δυνάμεως} quod eſt Latinè {*Gallinarum uerò ius ſimplex contemperantis (ſiue, vt alij interpretantur, cohiben-* 2
tis) facultatis eſt}. Id quod Arabum princeps diſtinctè comprobat, tùm quò ad ventriculum, dicens[d] {*Et aſfidbegi, (hoc eſt, Bellunenſi interprete) ius ſimplex pullorum ſedat inflammationem ſtomachi*} tùm quò ad humores, alibi ſic ſcribens[e] {*Ius pulli vehementer temperat humores, & plus, quã ius gallinarum; ſed tamen ius gallinarum eſt magis nutriens*} 3
communiter verò, quò ad vtrumque inſtar Galeni locutus eſt Auerroes, dicens[f] {*Brodium iuuenis Gallinæ temperat complexionem*} Ex his igitur alii quidam medici ad contemperandum tali ſeduti brodio reſpondent. At quomodo ventriculũ ipſum cõtemperare poſſumus, ni prius ad ipſum, ꝑpeq; ipſum attractos humores, quodque maius eſt in eo perſiſtens adhuc medicamentum eduxerimus, foraſque propulſarimus, vel eoſdem humores contemperauerimus? Rurſus autem, cur prauos illos ſuccos, non niſi vt ſubducantur, attractos temperare, ſiue (quod peius eſſet) cohibere tali ſimplici iure debemus? quanquã eoſdem in venis anteà quietos contemperaſſe, ac ſedaſſe fortaſsis condecens fuiſſet? præſertim cùm ius illud, tanquam nutriens, ante expletam purgationem propinatum (vti faciunt) tùm Hippocrati[g], tùm ipſi etiam principi[h] expreſſe aduerſetur, neque ſorbitionem vllam prębendam edocentibus, donec ſuam purgans medicamentum exquiſitè compleuerit operationem? N[illegible] medici plu-

De inſipidi iuris mala vſu.

c 11. ſimplicium, ſec. 39.

d 2. Can. tr. 2. cap. 296.

e 3. 1. doc. 2. cap. 7. circa finem.

f 5. collig. ca. 55. in 1.

Quod malè ad temperãdum.

g 2. de ratione uic. acut. tex. 13.

h 4. 1. cap. 5. ante medicamentum.

res

res debilem purgationem irritare perperam opinātes, inſipido illo, ac magis profectò, quàm medicamentum ipſum plurimis abhorrendo, nauſeamque prouocante brodio pauperculos torquent ægrotantes: non ipſam modò purgationem, incitationis vice, interrumpentes, cohibenteſque: ſed etiam inde ad horam, nondùm facta illius etiam iuris concoctione, ſuper incocto iure crudum cibum præcipientes, multorum ſequētium malorum occaſionem, anſamve præbēt. Ad quod propoſitum quæ mihi pro Illuſtriſſimo tunc temporis Siciliæ pro rege Ioanne à Vega, non pœnitenda memoria ſucceſſerint, breuiter enarrabo. Etenim cùm à pharmaco ſatis adhuc ſegniter purgante, aſtans hiſpanus quidam, familiariſque medicus purgationem ipſam irritamento quodam incitare optaret; brodium ſine ſale paratū iā proprijs in manibꝰ corā principe habebat, illum intereà tametſi nauſeantem, taleq; brodium abhorrentem exorans, ut ebiberet: condecentem ex illo purgationem conſecuturam, multis quidem ſophiſticis rationibus perſuadere enixus. Quo tēpore ſuperueniens ego, iuris illius à me ad tale propoſitum reprobati vice, non ſine ingenti Viceregis exultatione, frigidæ aquæ libram cum ſachari mediocris albedinis vncia propinaui: Me non temperaturum, multoque minus cohibiturū prauos illos iam iam irritatos, & circa ventriculum tractos humores, ſubdens. At rationibus poſteà dicendis, propulſurum, ac tēperato iam, roboratoque ventriculo, deiecturum. Viroque præſertim frigidæ meracioris aquæ potioni mirum in modum aſſueto, eamque plurima ſui iecinoris naturali caliditate exoptanti. Qua mehercle (vel inuito illo aſtante medico, ſed ſine ſale brodium ſuum neruis omnibus extollente) epota deſtructaq; ſtatim nauſea, ſedatiſque nonnullis in ore ventriculi morſibus talē eueſtigio purgationem feliciter illuſtriſſimus perfecit: vt gratias referre mihi pro tali frigidæ potione cupiens, argenteum illud vas, in quo repoſita frigida fuerat, pretij

Quod malè ad incitandam purgationem. 4

Hiſtoria.

aureo-

aureorum nummorum quinquaginta, medicum alterum interea, ſuo cum brodio, prauorumque ſuccorũ contemperantia deridens, vt ad tempus vſque prȩſens fruerer, gratiſſimo animo donauerit. Sed hæc obiter. Ad noſtrum igitur propoſitum conuerſi dicamus, quòd ſi ventriculi abſterſionem, lauationemque & ad purgãdum concitationem intenderint medici: cur potius galli, præſertimque veteris, eiuſque ſalſi potius, nedum ſale conditi ius non propinant? Cum in allegatis paulo prius locis non Galenus modò, ſed ipſe etiã Arabum princeps, atq; Auerroes, illud ad huiuſmodi propoſitum cõmendarint? quod ante ipſos ēt Anazarbȩus Dioſcorides i edocuit? Quam etiã ob rem in Rabi Moyſis aphoriſmis ita rectius ſcriptum inuenimus. k (*Ait Moyſes. Neceſſe eſt, quòd huiuſmodi membra lauentur poſt operationem medicinæ, ante cibum, cum iure galli, adhoc vt cibus non admiſceatur illi reſiduo, quod remanſit in uillis ſtomachi ex medicina.*) Rurſusque verſus aphoriſmi finem. (*Et cum hæc egreditur à ſtomacho, offeratur ius galli.*) Ridiculum igitur eſt, brodium illud gallinacium ſine ſale, ab aſſumpto pharmaco (uti cõiter multos practicantes facere vidimus) & extra rationem eſt, tàm ſi poſt expletam purgationem, quàm ſi (quod peius eſt) ante illius complementum propinetur, ſiue ad contemperandum, ſiue ad irritandum, ſiue ad lauandum, abſtergendumque exhibeatur. Alterum verò, quo vtuntur plures à pharmaco medici, eſt aqua hordei, non frigida, ſed calida, nonnullique ptiſanæ cremorem uſurpant: Quas quidẽ ambas, ſi expleta iam purgatione, ad lauandum, abſtergendumque, ſiue contemperandum præceperint, aut fortaſis effrænitantem purgationem obtuſo medicamento reprimendam, opiparè commendamus: non tamen ad initandam, adiuuandamque debilem medicamenti operationem, quam nos huiuſmodi aquæ frigidæ potione quærentes, feliciſſime conſequimur. vnde autem aquȩ hordei vſus apud Barbarolatinos noſtros, recentioresq; pſertim medicos prouenerit, enuclea-

Quod malè ad abſtergendum, lauandumq́ue.

5

i lib. 2. Cap. 43.

k partic. 13. aphoriſ. 6.

De ptiſanę, hordeaceæve aquę calidæ malo uſu.

cleare minime grauabor, inde exordiens: quoniam (vt tibi compertiſsimum eſſe reor) vbicunque Græci veteres, præſertimque Hippocrates, & Galenus πτισσάνην vel τῆς πτισσάνης χυλὸν, ſiue πτισσάνην κριθώδη, noſtrique ptiſanam, vel ptiſanæ cremorem, ſiue ptiſanam hordeaceam nuncupant, Arabes quidem plurimi, ſeu malumus dicere, eorum interpretes aquam hordei appellant: generatimque pro cuiuſcunque rei ſucco, quem Χυλὸν Græci vocant, hi aquam dicere conſueuerant; velut vberrimè per multa Græcorum ſimul, & Arabum ſibi inuicem reſpondentia loca, in noſtro de tumoribus præter naturam volumine ſecundo [l] demonſtrauimus. ea propter cùm Hippocrates, eiuſque interpres Galenus libro de ratione victus acutorum ſecundo [m], ptiſanæ ſorbitionē à medicamēto dederint, multi nō Arabes modò, ſed ipſi deinceps Barbarolatini hordei aquā propinandā præcipiūt. unde noſtrorū practicātiū medicorū conſuetudo ſucceſsit. At illam non frigidā, ſed calidam, lauandi, abſtergendique duntaxat intentionem habentes, propinant. Rabi Moyſes autem in iam iam præallegato aphoriſmo [n], non aquam, ſed ipſam ptiſanam rectius ex iiſdem auctoribus intelligens, tanquam deinde ipſis ægrotantibus abominandam reſpuit, ſubdens (*Et oportet ut lauatio fiat cum aliquo viſcoſo mundificatiuo & mollificatiuo. Et ideo Hippocrates, & Galenus elegere in hoc far hordei, & viderunt eſſe utile ad vſum prædictum, ut de eo modicum porrigatur, quod ſit ſufficiens ad lauandum tantum. Et ſi aliquis noſtrum hoc faceret, ſtatim euomeretur medicina tota ſimul. unde melius mihi uidetur, quòd recipiatur modicum de iulep calido. Et ſimiliter receptio farris hordei poſt medicinæ operationem eſt parū vſitata in regionibus omnibus, quas circuiui, & eſt abominabilis: nā ſtomachus citò deuenit ad abominationem poſt purgationem*) Ecce igitur quomodo non ex Galeno tātum, ſed ipſo etiam ex Hippocrate (prout ſcilicet à Galeno expoſitus eſt) bis dandam eſſe ptiſanam Rabi Moyſes refert. Quam tamen vt ægrotantibus abominatam refutat. Bis inquā ex Galeno dādam: prius quidem e ueſtigio, quàm pharmacum

Vnde prouenerit aquæ hordeaceæ à medicamēto vſus.

l Trac. 2. cap. 16. com. 3.

m Tex. & cō. 12. & 13

n part. 13. apho. 6.

macum abſorbuerint: deinceps vero poſt factam medicamenti operationem. ſubdit igitur RabiMoyſes *{Et melius mihi videtur, vt porrigatur modicum aquæ calidę, in qua bullita ſit radix althea, & ſemen eius, cum aniſo, uel cinamomo, & ſimilibus, adhoc, ut ſimul colligam viſcoſitatem, mundificationem, aromaticitatem, & ſaporoſitatem. quæ coletur ſupra zuccarum. Et ſi addatur ſemen myrthi, coniungitur viſcoſitas, & aromaticitas, & eſt de medicinis cordis.}* Decoctum id paucum dandum eſſe ſtatim, uoluit Rabi Moyſes, propter gulæ, oriſque uentriculi lotionem, atque abſterſionem. Ad quam intentionem, tametſi multa nos pręcipere ſoleamus, duo tamen optima experti ſumus: Alterum quidem, nucis iuglandis nucleum à medicamento ſtatim maſticatum, atque deglutitum: Alterum verò frigentis aquæ hauſtum. poſt medicinæ autem operationem (ut à principio iam aphoriſmi dixerat) & cùm hæc egreditur à ſtomacho (vt in fine repetit) offeratur ius galli. Non quod bis tale ius dandum voluerit, ſed ſemel tantum. ubi ſcilicet non ſolum ſuam perfecerit operationem ipſum medicamentum, ſed è ventriculo iam deſcenderit: ad lauandum quidem, abſtergendumque, ſi quid reſiduum medicaminis illius in vellis ſtomachi remanſerit. E prædictis igitur patet, tàm ſine ſale gallinaceum ius, quàm hordei aquam, ſiue ptiſanam, aut ptiſanæ cremorem, utrumque actu calidum non ad incitandam adiuuandamque purgationem, à medicamenti aſſumptione præberi, ſed illud quidem ad contemperandam, cohibendamque potius medicamenti operationem: hanc verò ad lauandum, abſtergendumque, ac per hæc medicaminis uim compeſcendam. Nos autem frigidæ aquæ potione adiuuare, incitareque illam intendimus, felicemque ſucceſſum adipiſcimur. Verùm enim uerò cùm de Hippocratis ptiſana poſt pharmacum ſorbenda tetigerimus, unde aquæ hordei uſum ſucceſſiſſe prædiximus: futile hic minimè fuerit, eius intentionem enucleare, ſimulque munus rectam Galeni interpretationem (ſalua tanti viri pacę) oſten-

oſtendere. Quam uniuerſa non Græcorum modò, ſed Arabum quoque, ac Latinorum ſchola inconſultè (ut mihi uidetur) tranſcripſit, æmulariq; enixa eſt. Inquit igitur Hippocrates:^o (ubi præbendũ pleuritico purgans medicamentum, dolore ad hypochondria deſcendente præſcripſerit) iuxta Vaſſei interpretationem (*ubi autem quis medicamentum ebibit, ptiſanam protinus ſorbendam dato, neque inſigniter minore, quàm conſuetum eſt, quantitate.*) E' quibus quidem uerbis apertiſſimè Galenus elicit^q, ſtatim ab aſſumpto, deuoratoque pharmaco, ptiſanæ cremorem abſorbendum fore, ad abſtergendum, lauandumque loca, per quæ tale pharmacum pertranſierit: cùm illud, quodcunque ſit, purgando corpori contrarium exiſtat, lethaleque, ac deleterium. unde in œſophago, atque ore uentriculi non nihil in abſorbitionis tranſitu remanens, ſummoperè non qualitate modò, ſed et ſubſtantia læderet: præſertimq; uomitum, nauſeamq; aſſiduè prouocans.^r (*ptiſanæ igitur cremor (ut ſubditur) ſuperingeſtus commoditatem affert: Nempè & detergere, & deorſum trahere quod uiæ adhæret, & qualitatem medicamenti, quod his adhæret partibus, tùm temperare, tùm permutare poteſt. ob eas igitur cauſas à purgantis medicamenti potu ptiſanam ſuperſorberi præcipit.*) Hæc pro Hippocratis uerborum expoſitione Galenus. qui ſtatim, hoc eſt, antequàm purgatio cæperit, ad abſtergendum, lauandumque uias, per quas medicamentum pertranſierit, ſimulque temperandum, refrangendumque potius illud, abſorbendam eſſe, non totam adhuc ptiſanam, ſed ptiſanæ cremorem, ex illius intentione, uoluit. Rurſusque ubi purgatio deſierit, hoc eſt, ubi medicamentum ſuam expleuerit operationem, propinandam eandem, interpretatus eſt, non purgatione in media, quod eſt, ubi purgatio iam cæperit: ne ſcilicet medicamento admiſta ſorbitio hæc illius uires exolueret, ſicque purgationem impediret. Ideoque ſtatim ſubdit Galenus dicens^ſ: (*Sed ubi purgatio cæpit, ab ea uult abſtinendum, purgantis medicamenti operationem exolui ueritus.*) Hęc eſt Galeni interpretatio, bis pro-

Locus Hippocratis expoſitus.
o 2. de rat. uic. acu. tex. 12.
p ibidē tex. 1.
q com. 12.
r circa finē cōmēti duodecimi.
ſ in fine eiuſdem cōmenti.

pinatam ab Hippocrate poſt pharmacum ptiſanæ ſorbitionem, ſupponens. Sed enim uerò tametſi ſummo, generalique præceptori noſtro Galeno ſectantiumque medicorum cætui aduerſari nos magnopere dolemus;

Contra Galenum. In cunctis tamen ſanctius eſt præhonoraſſe ueritatem: præſertimque in rebus ad humanę uitæ ſalutem, 1
uel interitum pertinentibus. Siquidem igitur Hippocrates bis abſorbendam fore ptiſanam uoluit, primoque duntaxat ad lauandum, abſtergendumque gulam, atque ipſum os uentriculi (pro qua intentione pauciſſima ſufficeret quantitas, puta duo, forteque unus tantùm hauſtus) cur addit in hac prima ſorbitione, quòd neque inſigniter minore, quàm conſuetum eſt, quantitate, prębenda talis ſorbitio eſt? In ſecunda uero ſat ſibi fuit conſueta minorem propinate? Cùm tamen in hac ſecunda dicendum ueniret, quòd non inſigniter minor danda, quoniam non ad lauandum tantum, abſtergendumq; & contemperandum intermedias uias, ſed ad purgati, ac per hoc imbecillioris iam redditi corporis inſtaurationem, exhibeatur. Quo tempore, & non ante, nutrimentum concedi poterat (perinde ac 2
anteà idem Hippocrates, Galeni etiam enarratione, edocuerat [1]) Quòd ſi præter hanc nutritionem, abſterſionem quoque, ac lotionem contemperantiamque intendat, cùm præter gulam, osque uentriculi, totus etiam uentriculus nunc abſtergendus, lauandusque ue 3
niret, atque contemperandus, longe maiori ſorbitionis quantitate dubio procul omni indigemus. Sed cur in hac ptiſanæ ſorbitione adeò liberalis Hippocrates (alioquin tamen in acutis morbis parciſſimus, præſertimque in ea, de qua loquebatur, pleuritide) euaſit, 4
ut in breui temporis ſpatio, uix horarum ſex, aut etiam quinque, bis ipſam ęgrotanti præbeat? Sed iterùm ſedulò perpendendum uenit, quoniam cùm in prima uice, atque etiam ſecunda, conſueto minorem dandam eſſe ſorbitionem prædixerit Hippocrates: Galenus tamen in cõmento ſecundę rationem aſſignat: cur ſcilicet

[1] Libro 1. tex. 19. 32. 33. 42.

cet conſueto minorẽ conceſſerit (quoniã uidelicet corporum, quæ expurgata ſunt, natura ex purgatione agitata, labefactataque tolerare alimoniam non poteſt, neq; probe eam conficere, niſi omnino pauca fuerit.) primæ autem ſorbitionis, cur non inſigniter conſueta minorem conceſſerit, rationem minimè aſſignat. Quã tamen afferre condecentius, quinimmo neceſſarium fuerat. Etenim ſi non niſi ad lauandum, abſtergendumque, ac temperandum uias, per quas medicamentum pertranſierit, non etiam ventriculum ipſum, neque ad nutriendum, eam ſorbitionem à medicamento ſtatim præbendam uoluit: cur non inſigniter conſueta minor ea non eſſe debeat? Cùm interea multa eius quantitas medicamẽto admiſcenda uim illius ad purgationẽ utiq; neceſſariã obtũdat, atq; imbecillem reddat? uel ob medicamenti admiſtionem corrupta ea ſorbitio multa corpori incommoda diſtribuat? Haud enim dicere poſſumus, quòd ad obtundendam medicamenti venenoſitatem, eam ita copioſam dederit: cum ad hoc aromatica admiſcenda, cùm ipſo etiam Hippocrate u Galenus prædixerit. Quæ vires roborare, ac humores incidere lentos, craſſoſve attenuare, necnon meatus aperire, medicamentique tandem malitiam reprimere, obtundereq; ualeant. Nil uerò ad hoc propoſitum addens de ptiſana, non niſi ad lauandum, abſtergendumque, & qualitatem in gula derelictam cõtemperandum, meminerat. Ideoque rectius (quamquam non ex Hippocratis uerbis x, Rabi Moyſes) modicum porrigendum eſſe far hordei, declarauit, quod ſit ſufficiens (ut ait) ad lauandum tantùm. Exquiſite igitur perpendentibus compertiſſimum fiet, Hippocratis intentionem nõ eſſe, ut bis ptiſanæ ſorbitio detur: ſed ſemel tantum: eamque non à pharmaco ſtatim, ſed ubi iam purgatio deſierit. Quocirca nõ uti Galenus dicebat, ad lauandum, abſtergendumq; gulam, uentriculiq; os, & contemperandum, ſed ad nutriendum, eam præbere uoluit. Textus igitur tertiuſ-

u text. & com. 11.

x Vbi ſupra.

Germana Hippocratis intentio.

tiuſdecimus duodecimi expoſitiuus eſt (continuo.n. nō diuiſo ſermone locutus eſt Hippocrates) Adeò ut ſic dicere intenderit {*ubi autem quis medicamentum ebiberit, ptiſanam protinus ſorbendam dato, neque inſigniter minore, quàm conſuetum eſt, quantitate*} Quoniam uerò dixerat {αὐτίκα} latine {*ſtatim*} ſiue ut interpres uertit {*protinus*} dictioque hæc latitudinem habet: Adeò ut uſque ad trium quoque dierum ſpatium (Galeni etiam interpretatione y) protelet ur. Idcircò ſubdit, quomodo intelligat dandam eſſe ſtatim ipſam ſorbitionem, ſic dicens {*Et quoniam ſecundum rationem eſt, purgatione in media ſorbitionem non dare: At ubi purgatio deſierit, tunc ſorbitio conſueta minor præbeatur.*} quaſi dicat. Tametſi diximus anteà ſtatim à medicamento dandam eſſe ſorbitionem: Quia tamen rationabile eſt, non dandam eſſe hanc in medio purgationis. q.d. dum purgatio iam fit, & in actu eſt, ſiue in medio tempore, quo purgatio fieri debet: ne ſcilicet ea perturbetur, impediaturque: Idcircò intelligimus finita purgatione dandam ſorbitionem eſſe. ubi notanda inſtanter eſt dictio illa {τότε} quod eſt, {*Tunc*} q.d. non ante intelligendum eſſe, quòd ea ſorbitio danda ſit, ſed tunc, quum ſcilicet purgatio iam deſierit, ſuamque medicamentum iam compleuerit operationem. ut autem exquiſitius Hippocratis intētionem percipere queamus, in memoriam reuocemus prius quæ idem Hippocrates (Galeno etiam exponente) prædixerat z, ſcilicet quòd neque ptiſana, neque cremore, ſed neque ipſo etiam potu utendum eſt, ubi dolor adſit: niſi prius uel ſanguinis miſſione, uel medicamento, aut clyſteri, ſiue balano ſaltem uacuauerimus, doloremque etiam fotibus ſedauerimus: Deinceps uerò ad ptiſanam, ſiue cremorem, aut ipſum forte potum deueniendum. cùm igitur ab initio libri ſecundi, de huiuſmodi fomentis, uacuationibuſque per ſanguinis miſſionem, aut medicamenta faciendis, locutus eſſet: quæ præcedere debebant, ad ſorbitiones, uel potus, uel neceſſaria, quæcunque ſint, nu-

y 1. aphor. com. 12. cū 1. progn. 5. & 1. de criſi. cap. 6. 7. 8. & 19.

Hippocratis intentio exquiſitius declarat.

z Libr. 1. tex. 19. 32. 33. & uide 2. 16.

tri-

trimenta deuenit: ideoque ſtatim ſic ſubdit ᵃ { τὴν μέντοι πτισάνην ὁκόταν πίῃ τὸ φάρμακον, ἐπιῤῥοφεῖν αὐτίκα χρὴ διδόναι, μηδὲν ἔλασσον ἀξίως λόγου, ἢ ὁκόσον μὲ εἴθισται. ἐπὶ καὶ κατὰ λόγον δὲ, μεσηγὺ τῆς καθάρσιος μὴ διδόναι ῥοφεῖν. ὅταν δὲ λήξῃ ἡ κάθαρσις, τότε ἔλασσον ῥοφείτω ἢ ὁκόσον εἴθισται. μετὰ δὲ τοῦτο ἀναγέτω ἀεὶ ἐπὶ τὸ πλεῖον: ἢν ἥτε ὀδύνη πεπαυμένη εἴη, καὶ μηδὲν ἄλλο ἐναντιῶται. } quod eſt Latinè ad verbum { *ptiſanam tamen, vbi medicamentum ebiberit, ſorbendam ſtatim concedere oportet: neque effatu dignè minorem, quàm quantam conſueuit. Et quoniam ſecundum rationem eſt in purgationis medio non dare ſorbitionem. vbi verò purgatio deſierit, tunc minorem abſorbeat, quàm quantam conſueuit. Deinceps vero in plus ſemper augendo perducatur: ſi & dolor ceßauerit, & nihil aduerſetur.* } Sic igitur Hippocratis verba ſimul continuata legentibus exquiſiteque perpẽdentibus, ea, quæ diximus cõpertiſsima fient. Nõ ergo intẽtionem ullã de ſtomachi, ſeu gulæ lotione, ſiue abſterſione habebat Hippocrates: ſed duntaxat, cùm de victus ratione, p̃ſertimq́; alimẽto acutorũ, ac ſpeciatim pleuriticorum loqui eo in libro intẽderet, remotis impedimẽtis per euacuationes, ſedatoq́; dolore, ad nutritionẽ denuò reuertit. cùm verò dixerit { *αὐτίκα* } q̃d latinè ſonat { *ſtatim* } vbi medicamentũ ebiberit, dandã eſſe ſorbitionem: Idcircò ne quiſpiã præter ullã latitudinem dictionem illã intelligeret: vt ſcilicet quàm primùm omni prorſus mora ſublata dãda ſit, ſeipſum declarans, ſubdit, dicens, nõ ſtatim, dum. ſ. medicamentũ in uentriculo adeſt, ſuam cõmouens ſiue commoturũ attrahẽdo purgationẽ, ſed ſtatim hac expleta. Tũc igitur danda eſt cõſueta minor ſorbitio. q. d. ea, quã conſueta minorẽ præbendã eſſe prædiximus. Minor inquã ꝓpter rõnem iam iam ex ipſo etiam Galeno prædictã, hoc eſt propter vẽtriculi à medicamẽto, purgationeq́; inductam imbecillitatem: quanquam vt paulo prius dixerat, non effatu dignè, ſeu non inſigniter minor propinanda eſt, ne vires eædem imbecillæ ſuccumbant, ſed moderata ſorbitionis quantitate (quam concoquere valeant) refocillatæ, ac roboratæ, morbi reliquias

a libr. 2. de ratione vic. acut. tex. 12. com. 13.

αὐτίκα.

quias deinde ſuperent, ac deſtruant. Quarum etiam virium eleuandarum cauſa, in ſequentibus cibationibus augẽdam eſſe ſorbitionem, meritò adiunxit, dummodo neque dolor, neque febris, aut aliquod ſympto ma, vel quoduis aliud obſtiterit. Qua Hippocratis intentione diligenter, & exquiſitè perpenſa, abſurdum profectò non eſſe, liquet, ex ipſus etiam Galeni, alibi ſcripto dogmate aliter dictionem { αὐτίκα } interpretari, videlicet non vt idem ſit, quod { παραχρῆμα } qđ eſt, ſubitò, ſiue ſtatim, aut quamprimum, aut huiuſmodi ſimilia: ſed vt idem ſignificet, quod { ἀμέλει) quæ dictio, præter alia multa ſignificata, prout ad noſtrum ſpectat propoſitũ, prçſefert idẽ qđ (*exempli gratia*) quemadmodum rectè Cruſerius, libro epidemiorũ primo *b*, dictionem (αὐτίκα) ex Galeni ſententia *c*, interpretatus eſt, dicens (*Atque exempli gratia continua eſt, quæ ab initio floret, &c.*) Quo etiam modo Galenus *d* alterum Hippocratis locum *e* interpretabatur, vt ſic videlicet intelligendum ſit (*Quibus enim cibus exempli gratia incluſus, ſi quis, &c.*) Quamobrem ſic ad propoſitum Hippocratis præaſſumpta verba *f* interpretati poſſumus. (*ptiſanam tamẽ, vbi medicamentum ebiberit, ſorbendam exempli gratia concedere oportet.*) Cur autem dixiſſe potuerit (*exempli gratia*) perſpicuum fiet, ea, quæ in primo libro *g* declarauerat, exactè penſitantibus. Etenim cùm totam nonnullis ptiſanam, alijs verò ſolum cremorem, nonnulliſq; ſolum potum præbere conueniat: quoduis autem horum dandum non eſſe prçdixerit, niſi vacuatio præceſſerit, dolorque ſedatus fuerit: condecens erat de quocunque prius loqueretur, exempli gratia, prçdicere. de cremore enim poſteà ſubiunget, dicens *h* (*ſermo autem mihi idem eſt, ſi & ptiſanæ cremore utendum ſit*) veluti de ipſo demum potu, dicens *i* (*De potu quoque, qualemcunque ex declarandis potaturus quiſpiam ſit, eadem omnino mihi eſt ratio.*) Quibus etiam exactè perpenſis patet, non de cremore in textu duodecimo intellexiſſe Hippocratem, quem Galenus propter lotionem, abſterſionemque

Altera verborum Hippocratis expoſitio.

b cõment. 3. tex. 10.
c 1. de criſi caf. 7. verſus finem.
d ibidem.
e 1. de rat. vic. acut. tex. 32.
f 2. de rat. vic. tex. 12.
g vide com. 19. et ſequẽtibus.
h Libr. 2. tex. 14.
i Ibidẽ tex. 17.

que interpretabatur. de hoc enim (vt dictum eſt) textu deinceps intelligit, expreſsitque decimoquarto. Sed hæc obiter dicta intantũ hic ſint, vt eorum detegamus errorẽ, qui ex Hippocratis intentione ptiſanã, pro gulę abſterſione, ſiue cremorem potius à medicamento ſtatim conſulunt, indeque, cùm Arabes hordeaceę ptiſanæ loco, aquam hordei proferant: ad aquam hordei à recentioribus uſurpatam hi deueniunt. Neque ſtatim interea ad lauandum gulam, osque ventriculi (uti Galenus interpretabatur) ſed finita deinceps purgatione, per horam ante cibum. Quanquam ſi calidã aquam non ſolum hordeaceam, ſed crudam quoque cum ſacharo, ad lauandum, abſtergendumque totum quoque ventriculum, fortaſſisque etiam inteſtina (cuius loco nonnulli ſerum caprinum ad eandem intentionem, propinare conſueuerunt) medici effrænitante prȩſertim medicamento, præberent, minimè condemnamus. At noſtra quidem intentio eſt, nondum exquiſitè purgantis, ſiue retardantis medicamenti, ſed ventriculum potius interea comburentis purgationẽ excitare, ut poſtea videbimus. Omiſsis igitur brodio ſine ſale, ptiſanaque, ac eius cremore, omiſſaq; aqua hordei uulgo à recentioribus uſurpata, actu inquam calida, niſi medicamenti ſuper excedentem, atque effrænitãtem uim extinguere intendamus (quam quidem intentionem noſtro æuo raró, aut nunquam habere cogimur, præſertimque apud magnates uiros: pro quorum expurgatione benedictis nuncupatis, ac omni ex parte correctis uti medicamentis conſueuimus) ad frigidæ aquæ potum deueniamus. Quam nõ extinguendi cauſa, ſed excitandi ſæpenumero, adiuuandique illorum purgationem propinare ſoliti ſumus, per totum hoc Siciliæ regnum, præcipueq; hic Panhormi, ac Meſſanæ, atque ubi nos interdum degere contigit, feliciſsimo quidem in dies ſucceſſu, uſq; adeò mulierculis etiam noſtris compertiſsimo, ut non expectato medico, ubi quadantenus immorari purgatio-

Frigidæ utilis uſus.

tionem aduerterint, in eam, tanquam in ſacram ancho ram, deueniant, Neglectis interea medicis illis, qui hanc fortaſsis omitterent. Quid tum? vſque adeò quotidianis experimẽtis ferè innumeris comprobatus huius aquæ frigidæ potus eſt, non ſtatim à medicamentis (niſi duntaxat vnus, duove hauſtus, ad oris, gulæve lotionẽ) ſed quinq;, aut ſex ad minus interpoſitis horis, vt de ea loqui, magisq; ſcribere, me mirum in modum tædeat. Niſi enim tibi morem gerere optarim, multò magis, quàm recalfacta crambe peremiſſet. Illuſtriſſimus igitur, excellentiſſimusq; (ut alios omiſſerimus) Sueſſæ dux, pro cunctis vnus veriſſimum tibi teſtimoniũ perhibere poterit. Qui renuentibus interea duobus aduenis, ſibique familiaribus medicis, maximam ex huius aquæ frigidæ potione, iucundamque vtilitatem, cùm in purgationis celeritate, tùm in ventriculi exquiſita mundificatione, ſe percepiſſe faſſus eſt. Frigidę inquam, non glacie, aut niue frigefactæ: Niſi vt naturales putei, vel fontes eam nobis exhibere ſolent. præter quàm in calidiſſimis (ut poſtea dicemus) medicamentis, aut ventriculis, adeoque niui aſſuetis, ut fontes omnes, tanquam tepidos nauſeent. his enim modicè, præter fontis, puteive naturalem frigiditatem, niuis adhæſu illam intendi nonnunquam permittere cõſueuimus. præſertimque in ęſtate, ſubque auſtrali conſtitutione. Sed unde nã in huius vſum deuenerimus, 1
Quibusve deinceps rationibus comprobarimus, 2
ac demum in quibus caſibus comprobandam, ſiue reprobandam determinarimus (Hæc enim ſunt, quæ à 3
me intelligere cupiebas) occaſio præceps exponendum accelerat. Inquit igitur Ioannes Meſue de medicamentorum loquens operationibus, quæ mouent, & nõ euacuant k (*ſi autem fuerit medicina earum, quæ ſoluunt comprimendo, voluerunt quidam ex prioribus, ſi ſolutionem non fecerit, ut ſuper eam detur aqua frigida: quia lubricare, & deſcendere facit, acquirendo grauitatem ei; quare citius deſcendet.*) Hanc Meſues cõcluſionem ex ueterum ſententia adductam nonnulli rudium

Hiſtoria.

Nota quomodo frigida eſſa debet.

Vnde frigidæ uſus a pharmaco, et quibus in caſibus.

Caſus prim⁹

k In can. uniuerſalibus intẽtione. 3. cap. 1. circa medicamentũ.

rudium medicorum (quorum oculis literæ tanquam pūgentes ſpinæ apparent) primum duntaxat verbum ſubſequens legentes, ab ipſomet Meſue reprobari crediderunt. cùm ſubdat ſtatim, dicens { *ſed errauerunt* } verùm ſi conſequentia cuncta legiſſent, apertiſſimum eis factum eſſet, eam confirmaſſe potius, quanquam vt rationalis deinde medicus, vbi tutò danda ſit, vel ab ea abſtinendum, appoſitiſſimè diſtinguat, ſic ſubdens { *ſed errauerunt, illud ſimpliciter (hoc eſt, vniuerſaliter, & abſque diſtinctione) aſſerentes: quamuis faciat illud (ſcilicet vt grauitate ſua lubricare, deſcendereq; faciat medicinam) liberos habentibus corporis ductus* }. Ecce igitur in quibus caſibus eam comprobat, in habentibus inquā corporis ductus (hoc eſt inteſtinorum reuolutiones) liberos. Meritò autem reprobat in contrarijs, ſubdens { *In habentibus tamen oppilationem, aut coangustationem in anfractuoſitatibus (ſcilicet reuolutionibus inteſtinorum, acquiritur ex hoc (ſcilicet aquæ frigidæ potu) maior coangustatio: quare in his eſt prohibenda. Et tibi ſupereſt (tanquam ſcilicet dogmatico, expertoque medico) diſcernere illud.* } Nec diſcernere tantum, ſed ex imparato, atque obſtructo, paratū, liberumq; in ſuis omnibus meatibus corpus ipſum reddere, non incidentibus modo, attenuantibusque, & aperientibus (iuxta Hippocratis aphoriſmum[l]) ſed præpoſitis clyſteribus, obſtruentes ſiue fæces, ſiue craſſos humores abſtergendo educere, prout ex alio Hippocratis,[m] Galenique[n] præcepto liquet: corpus etiam, vbi opus fuerit, humectādo. Maiores igitur noſtri quidam Panormitani medici in huiuſmodi duntaxat caſu, poſt medicamentum videlicet comprimendo ſoluens, vtpote rhabarbarū, myrobalanosve, aut in quorum compoſitione horum quidpiam admiſtum fuerit, quo tempore paſsim abſque ſale gallinaceum ius propinari ſolebat (quod poſt quinque, aut ſex, ſiue ſeptem horas fieri conſueuerat) in aquæ frigidæ potum, quantitate dimidiæ libræ, cum ſachari interim groſsioris vncia nonnūquam deueniebant. vbi ſcilicet ſitibundū purgandi hominis corpus euaſerat, purgatioque in-

l 2. apho. 9.
m Colligitur. 4. apho. 13. & 6. epid. com. 5. tex. 19.
n ibidē. & lib. qualiter & quando purg. oportet. cap. 3. et uerſus finē lib. ſcilicet ca. 7. & 11. meth. ca. 19. innuitur idem.

terim diminuta, vel forte nulla ſucceſſerit. Nonnunquam dixi in huiuſmodi potum deueniebant, nō ſemper: etiam ſi nulla inteſtinorũ obſtructio affuerit, vulgi, vulgariumque medicorum infamiam pertimeſcentes: vt qui, niſi ius illud propinaretur, impudenter blaſphemabāt: quāquā ex huiuſmodi iure adauctũ potius, abſque ſuccedente purgatione faſtidium, ex frigidæ autem potu, ob extinctam prius ſitim, ac deinceps fæli cem purgationem ſubſequentem, ipſorum ægrotantiũ maxima cum lætitia gratitudinem aduerterint. Quantum enim huiuſmodi vulgaris infamia, tametſi iniuſta, ſæpenumero medicos ipſos doctiſsimos etiā perterreat, & à bonis multis operibus retrahat, compertiſſimũ tibi iā eſt. Sed hæc (ut dixi) apud maiores noſtros Panormitanos medicos practicantes, quanquam raro ac timide obſeruata reperimus. verũ cùm noſter mos ſit nũquam in authorum lectionibus feriari, ſed in omnibus vltimum finem rimari. vlterius progredientes, non à dictis modo medicamentis, quæ comprimendo educunt: ſed multo magis, abſolutiusque ab exoluentibus, uiolentiſque (Ruffi authoritate) ipſum quoq; Meſuen frigidiſſimę aquę potũ commendaſſe inuenimus. Dum ſic paulo poſt ſubiunxit, dicens {*verum eſt etiam, ſi medicina fuerit earum quæ faciunt ſuam operationem diſſoluendo, et fuerit earum, ad quas non eſt approximandum (quia ſcilicet talis modi medicinæ tanquam venenoſæ fugiendæ ſunt) & ſolutionem non fecerit, oportet vt anguſtiam generet, & æſtuationem. &c.*} pauloque poſterius ad remedia deſcēdens, addit {*Feſtinandum eſt igitur tũc, vt cito à corpore expellatur, quāto citius poterit. &c.*} Quod ſi expelli non poſsit per vomitum, ut ſimul eius reprimatur malitia, deorſumque deſcendat, ita ex Ruffo ſubdit {*Et dixit Ruffus. Quandoque multarum talium reprimitur malitia potu aquæ frigidæ vehementer, & ſeſſione in ea, propterea quòd frangit acuitatem.*} Ecce igitur quomodo ad reprimendam ſoluentis medicamenti malitiam, ubi non purgarit, non ſolum frigidæ potum commendat, ſed eam uehementer frigidam eſſe expreſsit. ut hoc in caſu

Caſus ſecundus.

ſu audacter niue frigefactam fontis aquam propinare
queamus. Quo quidem in loco Mōdinus de Lētijs, in- *Mondini cōfirmatio.*
terpres de huiuſmodi frigidæ potu diſputans, eam nō
in multa, ſed in pauca quantitate ſumptam ratione de-
1 mum recta comprobat, non ſolum ad reprimendam,
2 extinguēdamque medicaminis exſoluentis maliciam,
3 ſed etiam ad exuſti ventriculi temperantiā, ac per hoc
4 remota, quę ipſum debilitarat, intēperie, ad robur eius
firmandum, maximeque corrugata ipſius eiuſdem in-
terna ſuperficie, ad expellendum incitata: unde ſic di-
cebat, { *ſi exhibeatur aqua frigida in pauca quantitate, dico quòd ip-*
ſa competit. Nam ipſa ſui frigiditate corrugat, & condenſat partes ſto-
machi, quibus corrugatis medicina, & materia tracta ab ea, in inferio-
ra expellitur. Et præcipuè hoc habet verum in his, in quibus ſtoma-
chus eſt calidus. } Non temerè autē in pauca quantitate
præbendam hac aquam voluit Mondinus, quoniam
multa vel (ut idem ſubdit) nimis debilitaret virtutem
ſtomachi, & corporis totius. vel ſuperfluam (vti Meſue
idē poſteà Galeni authoritate docuit[o]) excitaret purga- *o Ibidem. cap. 3. poſt præd.*
tionem { *Inquit enim Galenus (ſubdit Meſue de ſuperflua loquēs*
purgatione) diſpoſitio auſtralis multiplicata aperit, & rarificat, &
obedientiam facit ad fluxum. Borealis verò multiplicat comprimen-
do, & exprimendo ſimiliter ad fluxum præparat: potus etiam aquæ
frigidæ multæ ſuper eam (ſcilicet pharmaciam) facit ſimiliter. } E
quibus exquiſite perpenſis noſtrum collegimus inten
tū. Si enim paucę frigidæ potio medicamenti acutiem
reprimit, ventriculum ſimul contemperando, ac robo-
rando, multæ uero ſorbitio ſuperfluam ſolutionē exa-
gitat: Mediocris igitur quantitas (prout nos propina-
re ſolemus) a media libra uſque ad unam libram, pau-
lo ve plus, aut minus, pro ſuſcipientium corporum di-
uerſitate, cuncta ſimul hæc moderatè explebit, me-
diocremq; non ſuperfluam excitabit ſua compreſſio-
ne purgationem. Sed ne Arabum quidem princeps *Auicennæ*
hanc determinationem reſpuit: ſed de medica- *cōprobatio.*
menti malitia poſt purgationem ſedanda loquens,
ita ſcripſit p { *Et facere vt aquam hordei bibat poſt ſolu-* *p 4. cap. 5. uerſus finē.*

BIBLIOTE … FAC. DE M…

tionem ventris, expellit malitiam ſolutiuæ medicinæ, & lauat quod in meatibus, ſeu in inteſtinis retentum fuerit. } Hæc ex Galeni q (prout antea tetigimus) monumentis princeps, quamquam Galeno rectius, vt qui poſt ſolutionẽ ventris exhibet, ad lauandum, abſtergendumq́;, non ſolum quod in gula, ventriculiq́; ore, inter degluriendũ, ſed etiam quod in ventriculo, & inteſtinis, remanſerit. paulo autem infra pro nobis ita ſubdit { *Et qui calidæ fuerit complexionis, pſilium bibat cum aqua frigida, & oleo violato, & zuccarum tabarzet, aut iulep.*) Ecce quomodo ad frigefaciẽdum princeps non ſola contentus eſt aqua frigida, ſed pſilij ſemen adiunxit. Medicamenti autem malitia extincta vires robuſtiores fieri, cõpertiſſimũ eſt. Quod autem fontis aqua cum ſacharo, aut iulebo, tum ob ſui iucunditatem maiorem, quàm in vſucapta apud recentiores aqua hordei, tum magis ob minorem illius flatuoſitatem: quam non paucam, hordei non bene cocti ratione, in hac reperiri, vel in noſtro ventriculo non ſemel experti fuimus: alibi nos vberius oſtẽſuri ſumus.

q ſecundi de rac. vic. acut. cõmen. 32.

Nunc vero quod diximus quodammodo ex Aetij dogmate, comprobare poſſumus. Qui quidẽ de albo helleboro loquens, ait r { *ſi quidem facilè purgentur, poſt quàm biberunt medicamentum, dabimus ipſis aquã frigidam, καταῤῥοφεῖν, ἢ διακλύζεσθαι, quod eſt, ad ſorbendum, ſiue colluendum.* } Eſt autem Aetij intẽtio huiuſmodi frigidę potione, aut oris collutione ueratrũ deorſum propellere, ne ſtatim ſurſum aſcendens euomatur, donec exquiſitam habuerit actuationem, ut humores ad ſeipſum trahere queat. Si quidem igitur album ueratrum ſurſum uergens frigidæ tamen potio deorſum compellere poteſt, cur non multo magis ſubductiua pharmaca ſuis cum attractis humoribus deorſum propellet, vnde purgationis facilitas conſequatur? præſertimq́; in his, qui facilem habent per inferiora purgationem? præterea de his alibi loquens, qui pharmacum biberunt, & non purgantur, ſic inquit ſ { *Si vero quis poto pharmaco non purgetur, aquam mulſam κρατίστερον, quod eſt, temperatiorem aſſidue abſorbendam dato,*

Aetij confirmatio.

r lib. 3. cap. 133. i prin.

ſ Lib. eodẽ. cap. 117. in prin.

dato. &c.) Compertiſſimum uerò eſt, quod ubicunq; ueteres melicrato, alijsq; ex melle compoſitis utebantur, Arabes deinde, alijq; recentiores omnes medici ſacharum rectius, tanquam dubio procul omni minus calidum, ac per hoc calido, æſtuantiq; uentriculo, ac febribus ipſis congruentius uſurpant: prout ex innumeris Arabum præſertimq; Auicennæ locis aliàs comprobauimus. Cur igitur condecentius nos aquam ſachari non propinabimus? Actu tamen frigidam. Quæ ſua quidem frigiditate immodicam uentriculi calidã intemperiem uires deijcientem, operationesq; (Galeno etiam docente, *t*) exſoluentem contemperante, ac per hoc roborante: ſacharoq; abſtergente purgationẽ acceleret? Roborante inquam frigiditate uim præ cęteris expulſiuã. Galeno enim didaſcalo, *u* principeq; *x* illius ſententiam enucleante, propellens facultas minori caliditate indiget, quam concoctiua, retentiuaq;, & attractiua, minoriq; etiam ſiccitate, quam retentiua, & attractiua. Medicamenti igitur calore excandeſcens uentriculus, præſertimq; ubi in calore magis, quàm in ſiccitate uigeat, ipſum quoq; medicamẽtum, nedum prauos ab eo tractos humores concoquere, atq; magis attrahere ualens erit, minime uero propellere idoneus. quod ſi abundantior ſiccitas calore fuerit, retinendi facultas magis uigebit. Nos autem, tametſi à principio tribus his facultatibus indigeremus, attractiua. ſ. retentriceq;, & concoctiua: ubi tñ quinq;, ſexve, aut ſeptem horæ iam pertranſierint, medicamẽtumq; ipſum nil, uel parum eduxerit, expulſiuam potius facultatem exoptamus. Pro hac igitur roboranda, uentriculi tam calorem, quàm ſiccitatem contemperandam eſſe decernimus. Id quod appoſitiſſimè condecenti aquæ frigidæ quantitate epota complebimus: per ſe quidem ad temperamenti æqualitatem concurrente frigiditate, quamquam per accidens alia ratione quàmmaxime conferat, uentriculi partes contrahendo, inſpiſſandoq;, & ingroſſando & (uti princeps etiam

t 2. aphor. commẽ. 20. poſt med.

u 3. De ſympt. cau. ca. 3

x prima primi doc. 6. cap. 3.

etiam dicebat y) flamoſitatis diſſolutionem prohibendo quæ ad expulſionem iuuare ſolet, niſi multa groſſiorque ea ſit. quæ (ut poſtea uidebimus) una ex cauſis eſt purgationem impedientibus. comprobat autem hanc expulſiuę confortationem ipſe etiam Meſue: cùm ſic ait z (*ſi autem expulſiua debilitatur, aut medicina eſt debilis in operatione ſua, aut remiſſa, damus aquam frigidam non veri frigoris, & poſt horam res panticas, compreſſiuas, ſicut cidonia. &c.*) Eſt autem aqua frigida ueri frigoris, quæ intenſam habet, abſque impedimento, ſuam naturalem frigiditatem. Intelligimus igitur eam non ueri frigoris, cum ipſo etiam Syluio a, quæ parum, vel modicè frigida ſit. Ne debilem virtutem nimia frigiditas extinguat. Sed hæc de comprimentibus, exoluentibusque medicamentis dicta iam ſint. Reliquum eſt, vt de lenientibus, vt caſia, roreque aereo, & uiolarum infuſionibus, ac ſimilibus, Necnon & de ipſis lubricum reddentibus, ut prunis, tamarindis, cæterisque id genus loquamur. pro his enim, naturaque præſertim imbecilli exiſtente, Meſue etiam ipſe modice frigidam aquam, adiuuandæ purgationis gratia conceſſit, dicens { *Nam ſi hoc (ſcilicet purgationis impedimentum, imbecillitasque) fuerit propter debilitatem naturę (& huiuſmodi ſignum eſt res, quæ cadit in ſenſu, ſicut conualeſcentia, aut aliquid ſimilę) & ſi fuerit medicina earum, quę faciunt ſuam operationem lambiſicando, & lubricum faciendo, exhibitio rei cibalis confortantis ilico, & vigorantis naturam, poſt potum aquæ non veri frigoris, medicinam in effectu ſuo adiuuat,* } Quid tū igitur? ſi quatuor cùm ſint purgantium medicamentorum genera, frigidam aquam ſingulis conferre ad purgationem inuenimus? tametſi non eodem gradu frigidam. In his enim leniētibus, lubricantibusve modice, in comprimentibus abſolutè, prout in fontibus reperitur, in exoluentibus autem vehementer frigidam cōmendari prius à doctoribus, deincepsque quotidianis experimentis vſq; adeo comprobari, inuenimus. vt ſi nulla vel authoritas, vel ratio affuerit, ſatis ſuperque ipſa experientia foret.

y ibidem.

z in can. vniuerſalibus inten. 3. cap. 1. ante med.

a Super eodem loco.

Caſus tertius.

Nota.

Frigidæ gradus diuerſi.

Frigidæ quātitas diuerſa.

foret. Nec in frigiditatis gradu tantum differentia e-xiſtit, ſed in ipſa etiam propinandæ aquæ quantitate. Ab exoluente enim medicamento libram, à compri- *Nota.* mente verò vncias octo, uel ſemilibram: ſed à lubrificantibus demum, ipſiſque lenientibus tres, quatuorue duntaxat uncias, pluſue, aut minus, pro diuerſorum ſcoporum indicatione propinare ſolemus. Verum enimuero notandum hic ſedulo eſt, nunquam nos ad huiuſmodi frigidæ potum deuenire, niſi quoquo pacto ſitierit qui purgandus eſt, præſertimque in hyeme. *Nota.* de primis inquam, hoc eſt, comprimentibus, exoluetibusque. Quo ad lenientia uerò, lubricantiave, niſi admodum ſitierint, longè magis ex ſapidi gallinacei iuris præſertim cum ſacharo, ſorbitione ad purgationem iuuari, quàm ex frigidæ potione innumeris ferè experimentis didicimus. Rariſsimè autem ualida ſitis ex ultimis huiuſmodi medicamentis aduenire conſueuit: Eapropter & nos rariſsimè etiam frigidæ potum concedimus. Nulli tñ interea dubium fore opinamur, *Nota.* ubi purgatio ſuperflueret, non frigidam hanc, ſed calidam propinandam (uelut antea diximus) magisq; hordeaceã, & cum ſacharo, uel ſi malunt nonnulli inſipidum etiam ius, ut quibus uel lauandi, abſtergendiq; uel cohibendi, contemperandique uis ineſt (ut ab initio ſtatim quoque prædiximus) aliaque offerenda, quæ magis obtundere, foraſque deijcere medicamentum illud effrenitans ualeãt, uireſq; roborare, de quibus intentio præſens non eſt. Sed ut exquiſitius huiuſmodi in purgando deficientis medicamenti remedia, promptè uſque inueniantur: ſpeciatim impediẽtes cauſas oſtendamus, ut deinde in quibus aquæ frigidæ potus congruat, apertius explicetur. Sex igitur Meſue b ipſe poſuit, Aetius uerò quinque c. Quæ ſimul coniunctę, cum nonnullis etiam à nobis additis, ad quatuordecim reducentur: iterumque exquiſitius perpenſæ ad quinque capita referri poſſunt. Quorum quidem primum eſt, ratione corporis: ſecundum ratione uirtutis: tertium

b In can. uniuerſ. in ten. 3. ca. 1.
c Libr. 3. cap. 117.

tertium ratione materiæ euacuandæ: quartum ratione medicamenti, quintumque demum ratione eorum, quę extrinſecus occurrũt. Sit igitur primũ ratione corporis, quod purgãdum eſt, quatrupliciter, primò propter naturę ægri proprietatem: quia ſcilicet ad purgationes tale corpus ineptiſsimum ſit: cui leuiora medicamenta magis proficere, faciliusque illud mouere, non ſemel experti ſumus. cumque ut plurimum huiuſmodi corpus ſiccũ ſit, ex aquæ frigidæ potu condecenter adiuuabitur. Secundo, quia obſtructio in uenis, & meatibus adſit, per quos purgatio fieri debet. Sed huiuſmodi corpus antea pręparandum, fluidumq; Hippocratis aphoriſmo [d] faciendum, incidentibus, attenuantibusq;, & aperientibus fuerat. Nec frigidę potione ſuccurrere poſſumus purgationis iuuandæ gratia. Tertio quia durum ſtercus craſſique inſimul humores quibuſdam in inteſtinis impacta ſunt. Quibus non antea modo, quàm pharmacum propinarint, ſed etiã ante quàm ad frigidæ potũ deuenerimus lenientibus clyſteribus uentrem euacuare, ac lubricum reddere debemus, cibisque humectantibus, lubricantibusq: ante pharmaci aſſumptionem, humectare congruentius fuerat. Quam ob rem ubicunq; talem ſuſpicamur compactionem, ad frigidæ potum minimè deuenimus: niſi prius calenti oleo cum ſale inferiorem uentrem confricuerimus, deincepsque clyſtere ſubmiſerimus. Quinimmò niſi abhorreant hæc ęgrotantes, lõge fęliciorem operationem ſic, ex aquę frigidę clyſteria conſequente potione conſequi in cæteris omnibus ſolemus. Quartoque demum, quia groſsi quidam flatus, ſiue medicamentum eleuantes, ac per hoc illud operari minimè permittentes (ut qui præſertim in uentriculo ſunt) ſiue quoniam in inteſtinorum reuolutionibus conculcati, meſareicarumque uenarum poros obſtruentes, attractos à medicamento humores in ipſa inteſtina deſcendere non permiſerint, ſiue tandem inteſtinorum capacitatem dilatantes, extrudentesq;)

Ratione corporis quatrupliciter.

d lib. 2. apho. 9.

teſque propter expulſionem coarctari, & in ſe colligi minimè conceſſerint. Quos quidem flatus cum & ructibus, & crepitibus, ac uentris tumore, necnon & rugitibus, tortionibuſque cognouerimus, frigidę aquæ crudę potum abnegantes, diſcutientibus tum clyſteribus, tum externis inunctionibus præmiſsis, apparenteque interim caloris aliquo indicio, uehementique ſiti, ad decoctionis aniſi, ac cinamomi, frigidiuſculæ potum aliquando, nec ſine magna præmeditatione peruenimus. Hęc igitur quatuor impedimenta ſunt ex parte purgandi corporis. quod primum caput erat. Secundum uerò fuerat ex parte uirtutis:
Atque idipſum præterea quadrifariam: primo quia *Ratione virtutis quatrupliciter.*
concoctrix facultas imbecillis ſit, ut medicamentum
1 ipſum è potentia in actum reduxiſſe nequiuerit. Medicamentum enim in corpus non agere, niſi corpus ipſum prius in illud egerit, compertiſsimum medicis omnibus eſt. Quo in caſu uirium ſola inſtauratio prætendenda eſt, his quidem ſorbitionibus, quæ concoctu, ac diſtributu faciles multum interea præbeant a-
2 limentum. Secundò quia expulſiua facultas imbecillis eſſet: adeo ut attracti ab actuato medicamento humores deorſum propelli, ſiue à uentriculo, ſiue ab inteſtinis tenuibus, ſiue à craſſioribus nequeant. Noſcetur autem id, quoniam non medicamenti ſaper, aut regurgitatio ſurſum aſcendet, at ipſorum potius attractorum humorum. Huic igitur, ſubducentibus prę-miſsis clyſteribus, uel ſaltem balanis, irritanteque inferioris uentris inunctione, deorſum facta proprijs, uel alienis manibus compreſsione, ad frigidæ (uti prędictum eſt) non uehementer tamē, ſed modice, eiuſq; etiam paucæ aquæ potum ſuccurrendo deuertimus, urgente inquam ſiti: aliter benè ſapidum potius gallinaceum ius cū groſsiore ſacharo propinabimus. congruentiuſque in huiuſmodi caſu foret galli ius cum ſale.
3 Tertiò quia uentriculi, inteſtinorumque ſenſus obtuſus ſit. Adeò ut attractorum iam ſuccorum, ipſiuſque

etiam medicamenti acrimoniam, ſiue malam, extraneamq́ue qualitatem minimè percipiens, ad expellendum quoque non irritetur. Id quod ex groſsiore, obtuſove hominis habitu, ac temperamẽto, præſertimq; vbi nullũ ex medicamẽti aſſumptione faſtidiũ, neq; ex humorũ acrimonia morſum, neq; ſitim quoq; perſentiat notum fiet. Huic igitur, cane peius, & angue, frigidæ potio cauenda eſt, ijsdemq́ue, ſed acrioribus clyſmatibus, inunctionibusq́ue, ac balanis, ſalſoq́ue magis brodio, pręſertimq́ue galli, ſuccurrendum venit. Quartoq́ue demum quia natura impetum per 4
urinam fecerit, ſiue per ſudorem, aut aliam quamcunque uiam. quia ſic ſcilicet ante medicamenti aſſumptionem diſpoſuerat. Quo quidem caſu, ſatis eſt, ſi forte imbecillis appareat, ſorbitionibus, potibusq́ue nutrientibus eam roborare, ſiq́ue uacuatio cõferat, ſinere: ſin uerò lædere appareat, ei aduerſari. Hæc igitur ad ſecundum caput pertinebant. Tertium uerò ſequitur, Ratione purgandæ materiæ, dupliciter. primò, 1
Ratione purgandę materiæ dupliciter.
quoniam incocta, eductioniq́ue rebellis ea ſit, ideoq; medicamento agitanda non erat: Secundò quia ex ea 2
nil uacuandum remanſerat, à natura fortaſsis per criſim antea prorſus educta, ſiue correcta. Quibus in caſibus prouocãdus uomitus, & calida potius aqua cum ſacharo frequenter, ac paulatim epota medicamenti uis extinguẽda uenit. Nos uerò ad quartum caput trãſeamus, quod quidem erat ratione medicamenti, atq; idipſum tripliciter. primo quia paucius, quàm oporte 1
bat, datum eſt. ſecundo quia ſatis imbecillum fuerat, 2
Ratione medicamenti, tripliciter.
lubricãs potius, quàm ſoluens. Quibus in caſibus tùm balanis, clyſterijsq́ue, & unctionibus irritandi ui pręditis, tum frigidiuſculæ aquæ, paucæq́ue interim potu (ſiquidem ſitierit) ſin uerò hæc deſit, ſalſo iure, mollientibusq́ue ſorbitionibus, ac potibus, præſertimq́ue mellicrato, addito etiam ſi oportuerit modico ſalis, ſuccurrendum eſt. Tertiò ſi medicamentum alterius, 3
non peccantis humoris eductiuum erat. cui quidem

tertio

tertio caſui (uelut antea de materię rebellione prædi-ctum eſt) tum uomitibus, tum aquæ calentis cum ſa-charo potione aſsidua, alijsq́ue medicamenti uim ex-tinguentibus occurrendū eſſe, certo certius eſt. Quin-tum denique caput erat, Ratione eorum, quæ extrin-ſecus occurrunt. quæ in ſex rerum non naturalium ma lo regimine conſiſtunt. Cui quidem doctus, expertuſ-q́ue, ac prudens medicus occurrere, pro medicamen-ti, talisq́; erroris diuerſitate, poterit. Sed hæc ꝓ tui du-bii ſatisfactione ad nauſeā vſq; fortaſsis dicta ſunt. unū dūtaxat nō iniucūdū tibi fore autumo: ſi locū Aetij[e] ſa tis deprauatū annotauerimus. quē tamē Oroſcius ſub ſilentio prę teriuit. Quum ſcilicet ſic pro quinta cauſa Græcè habet. (ἢ διὰ ἀποτυχίαν) interpres traduxit {*aut propter errorem*} propriā (ut patet) nedū Aetij vocē igno rās. Eſt enim ἀποτυχία à proprio ſcopo error, ac fruſtra-tio, quæ prædictis quatuor, alijsq́ue cauſis communis exiſtit. ob eas enim omnes à ſcopo, ſuove fine fruſtra-tur purgans medicus ſiue medicam ētum. Noua igitur cauſa non eſt. circa eum igitur Aetij textum perlibrā-dum ſedulo eſt, vbi Græcè habetur, ε, hoc eſt quinque cauſas eſſe dicens: forte legēdum, ſcribēdumve, δ, hoc eſt quatuor, uel fortaſsis multa verba deficere, ex ip-ſius Galeni, quē Aetius tranſcribere ſæpius ſolet, dog mate, compertiſsimum eſt. ſupplendamq́ue quin-tam cauſam eſſe, his verbis {ἢ διὰ τὴν τῆς ὕλης ὠμότητα} q̄d eſt {*Aut propter materiæ cruditatem*} Deinceps verò quum ſubdit {καθαίροντα, πρὸς τὸ βλάπτειν μηδὲν τὸ σῶμα, τροφὴ γίνεται τοῦ ζώου τὸ δὲ εἰς φάρμακον δηλητήριον ἐκτρέπεται.} Quæ ver ba ſic interpres exponit {*pars quidem purgantis, ad hoc vt nihil lædat corpus, alimentum fit animalis* [illegible] *vero in pharmacum vene noſum euertitur.*} Quomodocunque autem exponatur, exquiſitè contemplanti [illegible] Galeni inten-tionē eſt quod dicit. Ex Galeno [f] igitur addenda quæ-dam, nonnullaque corrigenda ſunt. Ex libro quidem de his, quos purgare oportet &c. Sic legēdo {ἐνίοτε μὲν ὅταν ἀποτύχῃ} quod eſt (*Interdum ſidem, vbi purgantia fru-ſtran-*

Ratione ex-teriorum.

Aetij locus e lib. 3. ca. 117. poſt prnc.

f Cap. 7.

g 3. ſimplicium. cap. 24. ſtrantur) Ex libro vero ſimplicium tertio g (Καὶ διὰ τοῦτο ἔνια τῶν καθαρτικῶν φαρμάκων ὅταν ἀποτύχῃ καθαίροντα, τὰ μὲν πρὸς τῷ βλάπτειν μηδὲν τὸ σῶμα, καὶ τροφὴ γίνεται τοῦ ζώου; τὰ δὲ εἰς τὸ φθαρτικόν τε, καὶ δηλητήριον ἐκτρέπεται.) ſic igitur ex Galeno legendum. Quorum verborum ſenſus eſt (*Ideoq; purgãtium medicamentorum nonnulla , vbi forte purgatione fruſtrantur, Hæc quidem extra quàm quòd nihil corpus lædunt, alimentum quoque fiunt animalis, hæc verò in corruptiuum, ac venenoſum conuertuntur.*) vltra igitur quod multa in Aetij codice deſunt: nonnulla etiam praue ſcripta ſunt, quemadmodum (πρὸς τὸ βλάπτειν) in accuſatiuo, vbi legẽdum in datiuo caſu venit (πρὸς τῷ βλάπτειν) quomodo ſignificat (*præter quàm*) ſiue (*extra quàm*) aut ſi malumus dicere (*vltra quàm*) pręterea legendum potius non ſemel, at bis (τὰ) inque numero plurali, non (τὸ) in ſingulari: prius videlicet (τὰ μὲν) deinceps vero in oppoſitum (τὰ δὲ) (ſed hęc parui momentis ſunt) Demumq; legendum non eſt (φάρμακον δηλητήριον) ſed ex utroque Galeni loco (φθαρτικόν τε, καὶ δηλητήριον.) Eſt enim pharmacum ipſum quod in corruptiuum, & venenoſum, ſeu dixiſſe malumus, in corruptionem, & venenum conuertitur. Sed hęc obiter, currentique calamo dicta iam ſint. Quòd ſi ad faſtidium uſque prolixus fuerim, nimię parcas affectioni. Quia enim tecum loqui mihi uideor: Idcircò inuitus dico uale. Panormi Calendis februarij, ab anno ſalutis. M D LXXIIII.

VENETIIS Sumptibus D. Iacobi Anelli de Maria, Neapolitani.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DE LA FAC. DE MEDICINA